

cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abjiciat?

2. Omnia scire, cujuscunque modi sint, cupere curiosorum; duci vero majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum virorum est putandum.

Ita operose agendo, nihil agunt, qui in litterarum inutilium studiis detinentur. — Ecce Romanos quoque invasit inane studium supervacua discendi. — Cujus ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorum, quem justiorem, quem liberaliorem facient?

Quum gloriaretur quidam, quod multa didicisset, dixit ei Aristippus: *Sicuti non, qui plurima comedunt et exercentur, melius valent, quam qui sumunt necessaria: ita non qui plurima, sed qui utilia, legerunt, studiosi habendis sunt et eruditii.*

3. Aniceris Cyrenaeus magnifice de se sentiebat, ob artem equitandi, et currum regendorum peritiam. Volens igitur specimen artis Platoni exhibere, juncto curru multos cursus circumegit in Academia, sic servans primam orbitem, arenae impressam a rotis currus sui, ut ne tantillum quidem ab ea declinaret. Obsaluebant omnes rei miraculo, et aurigam ad caelum laudibus extulere. Uni Platoni talis peritia reprehensione potius, quam gloria, digna visa est; dixitque: *Fieri non posse, ut, qui curam impenderet adeo diligentem rebus tam exilibus, et nullius utilitatis, ea non negligeret, quae essent multo potiora, et vere digna admiratione.*

Quaedam supervacua est artis imitatio, quae nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem. Qualis illius fuit, qui grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuo et sine frustratione inserebat. Quem quum spe-